



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

173. An instituere possint Abbatissæ & Priorissæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nonnulli contrarium tēnerint, visūque non semel fuerit, per summos Pontifices haec instituendi facultatem Ordinario inferioribus fuisse reservatam, Papā contra concilii decreta in favorem patronorum laicorum sic volentium disponente. Idem cum Corrad. tenet Barb. *juris Eccl.* l. 3. c. 12. n. 208. iniquiens: potest etiam apponi in fundatione conditio, ut institutio spectet ad inferiorem personam Ecclesiasticam; id tamen hodie per Trid. corrigitur, quo cavetur, ut deinceps in fundatione vel dotatione Ecclesie institutio rectoris Episcopo, non alteri inferiori sit reservanda.

3. Sic competere ex donatione, potest enim Episcopus cum consensu Capituli inferiori pralato ejusque dignitati conferre jus spectans ad dignitatem Episcopalem, & nominatim jus instituendi, argumento *c. cum venissent. h. t. Pirh. n. 9.* citans Abb. *in cit. n. 4.* Sic per prescriptionem seu prescriptam consuetudinem, jus instituendi potest obvenire abbati, praeposito juxta *c. cum olim. & c. auditis. de prescript.* ut Pirh. n. 6. citans Abb. *in c. ex frequentibus. h. t. n. 3.* Sic ad pralatos, etiam regulares, in Ecclesiis iis pleno jure subjectis (secus est de Ecclesiis iis subjectis non pleno jure) spectat jus instituendi, argumento *clm. unic. de excessibus pral.* Pirh. *cit. n. 6.* citans Barb. *Pafl. loc. cit.* citans gl. *in c. Abbatis. v. pleno jure. de privileg. in 6.* An autem & qualiter institutio auctorizabilis transire possit in monasterium, dictum est supra ex *Lot. l. 2. q. 12.*

4. Porro posse spectare jus instituendi ad duos, & posse inferiorem acquirere jus instituendi cumulative ad Ordinarium, refert Garc. *p. 5. c. 9. n. 94. & 95.* & ex eo Corrad. *l. 4. c. 7. n. 22.* juxta decis. *Rota in una Lomensis Capellania. 17. Junii 1591.* & in eadem eorundem *Penna 29. Maii. 1592.* in qua citatur *Paris. in c. auditis. de prescript. n. 12.* Felix. *in c. pastoralis. de off. Ordinar. n. 2.*

*Questio 173. Num instituere possint Abbatisse & Priorisse?*

**R**espondeo: illas etiam jurisdictionis spiritualis, ejus praesertim, quae est clavus Ecclesiasticae, ad solvendum & ligandum sint incapaces, nihilominus ex commissione pralatorum habere usum quandam seu exercitium spiritualis jurisdictionis, ita ut clericos, etiam ad parochias, aliaque beneficia sibi pleno jure subjecta instituant. Laym. *in c. dilecta. de majoritate & obed. n. 1. & 2.* citans Sylv. *v. Abbatissa. Azor. p. 2. l. 13. c. 10. q. 6.* & seipsum *Tb. Mor. l. 1. v. 5. p. 1. c. 3. n. 4.*

*Questio 174. An, & qualiter potestas instituendi competere possit laico?*

**R**espondeo primo: competere potest, & quandoque, etsi rarissime, solet laico potestas instituendi ex privilegio speciali sedis apostolicae, utentis plenitudine potestatis. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 28.* Laym. *in c. nullus. de elect. n. 15. & 17.* Si enim à Papa iis concedi potest, & quandoque solet, potestas conferendi liberè, Laym. *ibid. n. 14.* multò magis à dicendum videtur de potestate instituendi seu conferendi necessariò ad praesentationem patronorum; quia haec potestas minor est.

2. Respondeo secundò: de ceterò nullatenus laici (intelligendo hoc de meris laicis & saecularibus personis; secus enim est de laicis, qui religionem professi censentur personae Ecclesiasticae, Laym. *cit. n. 14.* in fine citans Selvam *p. 2. q. 19.*) per consuetu-

*P. Lauren. Fori Benef. Tom. 11.*

dinem etiam immemoriam jus instituendi (idem est de jure conferendi) praescribere possunt. Laym. *loc. cit. num. 15.* Corrad. *cit. n. 28.* ubi tamen ait, posse laicum instituere ex consuetudine immemoriali, modò ea fuerit per Papam approbata, citatque Lamb. *p. 3. l. 2. n. 12.* Ratio responsionis est, quòd, cum jus instituendi non secus ac conferendi & eligendi (quin & magis quàm jus eligendi, ut notant AA. *in c. si tibi. de prab. in 6.* & specialiter Selva *loc. cit. n. 5.* apud Laym. *cit. n. 15.*) sit spirituale, à laico possideri nequit juxta *c. sacrosancta. c. Messana. de elect.* qui autem est incapax possessionis, est etiam incapax prescriptionis; cum, ut habetur *reg. 3. de reg. juris. in 6.* sine possessione praescriptio non procedit. Laym. *ibid.* citans Abb. Hostien. &c. Unde licet verum sit, quòd si unà cum tempore immemoriali fuit in quasi possessione conferendi vel instituendi (tunc enim allegare poterit titulum optimum, ad eoque in praesenti unicum, nempe concessionem Apostolicam) Laicus ob difficultatem exhibendi privilegii relinquendus sit in exercitio juris instituendi aut conferendi propter praesumptionem, quae in tali casu pro ipso est; non tamen ideo dicendum, illum praescripsisse, seu in vi praescriptionis obtinuisse hanc potestatem; si enim constitit postmodum nullum revera illi desuper datum privilegium, potestas haec instituendi illi auferenda. Proinde si solam consuetudinem immemoriam (quae abusus & corruptela dici debet, juxta *c. sacrosancta. & c. Messana*) non tantum in conscientia tutus esse non potest, sed & subiacebit poenis Ecclesiasticis istiusmodi usurpatoribus statutis. Laym. *loc. cit.* qui etiam *n. 17.* addit, quòd licet per speciale privilegium institutio seu collatio laico concessa esset; non debere tamen eam extendi ad desituendum seu deponendum, & removendum institutum, citat Abb. *in c. cum ex injuncto. de haeretis. n. 3.*

*Questio 175. An, & qualiter valeat institutio facta ab inferiore existente in quasi possessione instituendi, et si revera à parte rei non habeat jus instituendi?*

**R**espondeo: valere à tali factam institutionem, & esse à tali institutum non minus tutum, quàm electum, vel praesentatum, vel provisum ab existentibus in quasi possessione eligendi, praesentandi, conferendi. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 4. num. 11.* citans Lamb. *p. 2. l. 2. q. 4.*

*Questio 176. An, & qualiter reservetur institutio Papae, & qualiter is tunc procedat in institutione?*

**R**espondeo reservari quandoque facultatem instituendi à fundatore ipsi Papae, ita ut à Patrono nominata persona praesentetur Papae ab illo instituenda. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 29.* In quo casu etiam porrigenda sit Papae supplicatio (cujus formulare *ibidem* apponit Corrad.) quae juxta stylum Datariae contineat admissionem praesentationis, ac petitionem institutionis; nihilominus postmodum literae apostolicae super ea sub alia formula quòdam institutionem praedictam per Cancellariam apostolicam expediuntur; nimirum in iis sit tantum mentio praesentationis; non autem institutionis, sed tantum collationis, v. g. si dictae literae expediuntur in forma dignum seu commissaria, dicitur: *auctoritate nostrae conferas & assignes: si in forma gratiosa, dicitur: conferimus, vel providemus;* non autem dicitur: *instituas seu*

H

insti-